ALMÆ ACADEMIÆ HASSO-GISSENÆ,

RECTOR

TOTUSQUE ORDINIS PROFESSORII SENATUS,

Omnibus & ſingulis Civibus Academicis, largiſsimam Dei benedictionem ammitus precantur.

ACADEMIA *meritò cum Emporio univerſali comparatur. Sicut enim in hoc merces partim divenduntur, partim novæ venales luci publicæ exponantur, emptoresq; ad coëmptionem omni modo allectantur. Ita in Emporio literario uſu venire ſolet; ut exercitia Academica nunc omni fervore peragantur, eruditioq; omnium Facultatum Studioſis, ceu Emptoribus literariis, diligentiâ maximâ communicetur & inſtilletur, nunc illis exercitiis ad finem non ſine fructu inſigni perductis, nova aperiantur & ad valvas mundi appendantur.*

Poſtquam ergò per Dei gratiam, in inſtauratâ hâc almâ Haſſorum Academiâ Giſſenſi, per decurſum ſemeſtris elapſi brumalis, labores antehac promiſſi, non abſque Studioſorum, qui diligentiam adhibuerunt, emolumento permagno & fructuoſo, ad finem devoluti ſunt, nova nunc in omnibus Facultatibus promittuntur & panduntur gymnaſmata Academica, quæ per æſtatem inſtantem, decurrentis hujus Anni 1653. Deo clementer favente & felicitante, ingenti niſu & diligentiâ ſummâ tractabuntur, & pari ſtudio ad finem uſque perducentur. Quorum Catalogum in hâc publicâ Tabulâ conſignatum, hic publico τῆς οἰκουμένης conſpectui exponimus, omnibusq; tam Parentibus & Patronis Studioſorum, quàm ipſis Studioſis notificamus, hosq; invitamus peramanter, ut ad nominatorũ inf. a ſtudiorum Academicorum emporium certatim confluant, & inde merces literarias in uſum ſuũ exoptatiſſimum ſibi induſtriâ improbâ comparent, & in futurum reponant commodũ. Toti enim in eo erimus, ne per æſtivum hoc ſpatium ullum ſive acceſſus, ſive cõmorationis pœniteat, quin potiùs fiet, ut ſibi quisq; gratuletur, quòd ſtudiorum infra conſignatorum palæſtræ intereſſe, inq; illâ cum utilitate copioſâ ſeſe exercere licuerit. Deus iter Optimus Maximus, utpote quo laboribus hominum incrementum ex alto non ſuperaddente, omnia in caſſum abeunt, tam Docentium, quàm Diſcentium laboribus, ſucceſſum feliciſſimum largiendo: clementer ſuâ Gratiâ aſpiret, toto corde precamur, per Jeſum Chriſtum, Salvatorem noſtrum, qui duodecennis Docentium Collegio ſeſe immiſcere, & hoc ipſo teſtatum reddere voluit, quòd ipſe præſentiâ ſuâ opiferâ ejuſmodi ſtudiis Academicis adhuc dum intereſſe, isq; largiter benedicere velit, Amen! P.P. ſub Sigillo Academico Majori, Die 27. Martii, Anno M. DC. LIII.

IN FACULTATE THEOLOGICA.

Juſtus Feurbornius, SS. Theol. D. ejuſdemq; Profeſſor, 1. Quia Acta Apoſtolorum publicis Lectionibus abſolvit, ideò volente Jehovâ, priorem Epiſtolam S. Apoſtoli Pauli ad Corinthios, publicè prælegendo exponet. 2. Quoniam itidem Collegium ſuum Biblicum ſuper S. Evangeliſtam Matthæum, ad finem perduxit, propterea Collegium Biblicum ſuper Epiſtolam Pauli ad Galatas, inſtituet. 3. Articulum de divinâ peccatorum noſtrorum remiſſione, déque aliis fidei Chriſtianæ dogmatibus, publicis Diſputationibus Elenchticis proponet.

Petrus Haberkorn, S. Th. D. Profeſſor P. & pro tempore Academiæ Rector, quò per hanc æſtatem Dei Gratiâ ſtipatus, labores inchoatos, ad finem uſque plenè perducat, in Studioſorum commodum exoptatum, in ſuccinctâ ac perſpicuâ Errorum Calvinianorum refutatione, tam in publicis Lectionibus, quàm in privatis Collegiis, perget. Diſputationes etiam publicas inſtituet, inq; illis Fundamenta totius Papatus, quæ jactantur eſſe triplex Infallibilitas 1. Eccleſiæ, 2. Conciliorum, 3. Pontificis ipſius Romani, ſuccidet & evertet. Quin & Collegium concionatorium continuabit.

M. Johannes Nicolaus Miſlerus, SS. Theologiæ & Hebrææ Linguæ Prof. ordin. & Stipendiariorum Ephorus, à materia de Conciliis hactenus publicè pertractatâ ſe convertet in Lectionibus ordinariis ad Locos Theologicos ex Synopſi Theolog. ſuccinctè & perſpicuè ventilandos: Collegio privato contra Pontificios abſoluto, Diſputatorium nunc aperiet adverſus Calvinianos; Addet privatim Collegia Hebraica & Syro-Chaldaica pro captu & deſiderio Auditorum: Inſuper in gratiam Linguæ S. peritiorum publicè explicabit librum qvendam Propheticum.

David Chriſtiani, SS. Th. D. & Prof. Extraord. publicè in *προ*-*λήψ δογματικῆ* perget, & Locum *de Scripturâ* abſolvet, *Diſputationes Anti-Jeſuiticas* continuabit, & *Collegia* Privata, *Lectoria & Diſputatoria*, inſtituet.

IN FACULTATE JURIDICA.

Juſtus Sinolt dictus Schütz, U. J. D. Cancellarius & Profeſſor primarius, finito Legationis munere, quo jam in Comitiis Ratisbonenſibus fungitur, in præcipuis Imperii Conſtitutionibus interpretandis perget.

GREGORIUS TÜLSNERUS, *U. J. D. Conſiliarius & Profeſſor Codicis, p. t. Decanus,* futuro ſemeſtri æſtivo, Libri primi Codicis Leges principaliores & utiliores, in Prælectionibus publicis, quantum per labores alios licuerit, explicabit.

Jacobus LeBleu, U. J. D. Profeſſor Ordinarius, & Academiæ Syndicus, in prælectionibus Juridicis publicis Deo juvante, materiam de contractibus explicabit. In Collegiis Juris privatis, deſiderio Dominorum Studioſorum ſtudia ſua accommodabit.

Martinus Müllerus, U. J. D. & Profeſſor ordinarius, publicè aget de interdictis: privatim per æſtatem Collegia ſua abſolvet, & exercitium Inſtitutionum diſputatorium inſtituet, in aliis etiam prout Dominis Studioſis cõmodum viſum fuerit, ſuã offeret operam.

Johannes Helvicus Sinold, cogn. Schütz, Jurium D. & Profeſſor Extraordinarius, in prælectionibus publicis doctrinam de Proceſſu Judiciario primæ inſtantiæ hoc ſemeſtri proponet & abſolvet. Continuabit quoque Collegium Pandectarum publicum, ut & privata Collegia Pandectarum & Inſtitutionum tam lectoria quàm diſputatoria.

IN FACULTATE MEDICA.

Johan Daniel Horſtius, Medicinæ D. & Profeſſor & Archiater, ubi per negotia Aulica licuerit, Collegium inſtituet, in quo Chemiam, quâ poterit brevitate pertractabit, exponetq; modum Salia, Spiritus Olea & Magiſteria ſelectiſſima parandi.

Johannes Tackius, Philoſophiæ & Medicinæ D. Phyſices & Medicinæ Profeſſor Ordinarius, & Medicus Haſſo-Darmſtatinus, in Phyſicis luſtratâ cœli terræq; facie, ad Maris abyſſum deſcendet, atque aquarum naturas, & ea quæ in aquis ſive degunt ſive inveniuntur, ſcrutabitur; In Medicinâ verò ad auditorum captum ſeſe accommodabit; & exercitia tum publica, tum privata non in Medicinâ ſolùm, ſed & in Phyſicis inſtituet.

Georgius Balthaſar Metzgerus, Medicinæ D. & deſignatus ejuſdem Profeſſor ordinarius, hac imminente æſtate ad Auditorum captum ſe accommodabit, & ubi ſubjecta idonea adfuerint, diſſectiones Anatomicas inſtituet.

IN FACULTATE PHILOSOPHICA.

M. Caſpar Ebelius, Philoſophiæ primæ & Organicæ Profeſſor Ordinarius, publicè verum uſum & abuſum diſputationum & principiorum Philoſophicorum, in diſciplinis ſuperioribus, præſertim S.S. Theologiâ monſtrabit: privatim Collegia Metaphyſica & Logica continuabit, pro auditorum captu & deſiderio.

M. Jo. Conradus Dittericus, Græcæ Linguæ & Hiſtoriarum Profeſſor, in utrâque Profeſſione ex variis autoribus ſicilimenta inſtituet, quà publicè, quà privatim, prout è re erit Auditorum.

Jacobus LeBleu, U. J. D. & Civilis prudentiæ Profeſſor Ordinarius, in politicis Lectionibus publicis, ſecretiores Status regulas exponet; privatim verò, pro lubitu Dominorum Studioſorum Collegia aperiet.

David Chriſtiani, SS. Th. D. & Mathem. Prof. Ord. Fac. Philoſ. Decanus, publicè hoc ſemeſtri æſtivo *Geographiam* explicabit, praxinq; & uſum *Globi Proportionalis & Tabularum Geographicarum*, oſtendet. Privatim Collegia *Arithmetica, Geometrica, Aſtronomica, Geographica, Aſtrologica & Optica*, ad votum & captum Studioſorum, inſtituet.

Martinus Müllerus, U. J. D. & Moralium Profeſſor ordinarius, publicè ſelectiores exponet materias, & Collegia privatè pro deſiderio Studioſæ juventutis aperiet.

Joh. Helvicus Sinold cogn. Schütz, D. & Eloquentiæ Profeſſor ordinarius, publicè commentationes in Rhetoricam Ariſtotelis continuabit: Privatim quoq; Collegium Oratorium inſtituet.

M. Johannes Schreblerus, Hiſtoriarum Sacrarum & Eccleſiaſticarum Profeſſor Publicus Extraordinarius egit præteritâ hyeme publicè de Scriptis Chriſti, Mariæ Virg. Matthæi, Hermetis. Item de Revelationibus in genere, ac in ſpecie, puta Brigittæ, Eliſabethæ, Catharinæ Senenſis Sibyllarum. Tandem de Judæorum Thalmud, oſtendens iſtorum autoritatem non eſſe divinam. Hæc futurâ æſtate, Deo volente, continuabit; quibus pertractatis aget de Chriſti hiſtoriâ. Adhæc privatim actutus eſt de Scriptoribus Eccleſiaſticis II. III. IV. V. & VI. Seculi. Tandem Diſputationes Publicas ulteriùs inſtituet. Et cùm Pars I. Operis ſui Hiſtorici ſpecialis, per Dei gratiam, abſoluta ſit, inde ad Partem II. progreſſus fiet, quibus etiam præmittetur Pars Generalis de Hiſtoria.

GIESSÆ, *Typis* JOSEPHI DIETERICI HAMPELII, Academiæ Typographi, Anno clɔ Iɔ c LIII.